



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Iureiurando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

## ARTICVLVS V.

## De Iureiurando.

1. Iurare facientes illicita quas pœnas incurrant.
2. Iuramentum de illicitis factum non tenet nec indiget dispensatione.
3. Iuramentum de soluendis vsuris, vel metu extortum ligat.

**C**ontra iurantes & iurare facientes illicita emanauit constitutio Greg. XIII. quam hic propter eius frequentem vsu in inferendâ putauimus, & sequitur.

Inter Apostolicas, & infra. Verumtamen multi infirmi cupidique sensus sese in huiusmodi iuramenta cum animarum suarum periculo precipitant. Nos quoniam hac Sanctorum quoque Patrum institutis, & salubri rerum Ecclesiasticarum directioni aduersantur, & tanquam de radice ambitionis procedentia, omne bonum in Ecclesiis rebusque publicis peruertunt, ea noua prouisionis subsidio prohibere volentes, presentium auctoritate innouamus prædictam Constitutionem Nicolai Papa; itidemque alias omnes Canonicas sanctiones sue de abusu & reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus etiã quoad præterita inuolabilitate obseruari, ac etiam præcipimus & interdiciamus prælati, Canonici & alijs supra dictis, nec non Ecclesiarum Capitulis & Monasteriorum ceterisque Conuentibus, Ciuitatum quoque, Castrorum, & Terrarum cõmunitatibus, & personis quacumque dignitate præditis, ne vlla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiastica, aut decretis Concilii Tridentini, siue ante, siue post electiones, confirmationes, prouisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus,

ubique, ac quocumque tempore, etiã prætextu cuiusvis consuetudinis quancumque tempore obseruata, qua potius corruptela est censenda, siue in genere siue in specie præstare, reddere vel exigere, neque super præstitis, redditis, vel exactis hucusque, quencumque in iudicio vel extra inquietare audeant quoquo modo, vel turbare, illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiastica libertati, aut decretis dicti Concilii obuiantia exigere contenderint, Episcopos, videlicet alios quoscumque Pontificali dignitate præditos suspendimus à diuini Capitula verò & Conuentus eorumque Ecclesias & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obiecta & alia obtinenda eo ipso nobisque & Rom. Pont. præteritæ existenti relaxationes suspensionis, & interdicti, nec non absolutionis ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuò reseruamus: decernentes eos qui talia iuramenta sceleriter præstiterint, vsu & commodo res & gratia cuius causa iurauerint, eo ipso priuatos esse, alios verò ignorantes ad præstorum iuramentorum huiusmodi obseruationem minimè teneri, nec non irritum, &c. Non obstantibus, &c. Data Roma Nonas Septemb. anno 1584.

Quacumque autem forma præstetur iuramentum

ramentū tenet *Arm. ver. iuramentum. n. 6.* dummodo adsit intentio quæ si desit ut accidit in iniuris, vel si protestatur iurās coram alijs se non intendere iurare, non tenet. *cap. verum. de iureiuran.*

De illicitis autem ut disponitur extrauag. præmissa, & de illis quæ continent peccatū, iuramentum etiā cum intentione factum non tenet, nec indiget dispositione. *c. si verū. c. quanto. lo. cit. de iureiuran.* si tamen illicitum fuerit non ex parte iurantis, sed alterius in cuius fauorem iuratur, ut de soluendo vsuras,

vel vi seu metu extortum, obligat & est seruandum, licet repeti possint vsuræ, postquam iuramento fuerit satisfactum. Vel antequam incurrat perjurium, peti potest ab Episcopo absolutio à iuramento, qui, si iuratum fuerit per contractum nominatum, ex quo ius alteri fuerit quæsitum, non nisi citata parte absolutionem præstare debet; si autem ius alteri quæsitum non fuerit contractu nominato, absque vocatione partis absolvere potest. *Conar. loc. cit. lib. 1. cap. 4. à num. 5. ad 15.*

## ARTICVLVS VI. De Hæreticis.

- 1 *Episcopus est Ordinarius Inquisitor in sua Diocesi.*
- 2 *Episcopus potest procedere contra Hæreticum, licet Inquisitor etiam procedat.*
- 3 *Hæreticus quis dicatur.*
- 4 *Testis quis esse possit in causa hæresis.*
- 5 *Hæretico an debeat concedi procurator.*
- 6 *Hæreticus condemnatus appellari non potest.*
- 7 *Inculpatus de hæresi causa pendente an admittendus ad Missam.*
- 8 *Hæresis præsumptiones quæ dicantur violentæ vel leues.*
- 9 *Excommunicatus per seuerans per annum est suspectus de hæresi.*
- 10 *Confessarius sollicitans pœnitentem ad libidinem suspectus de hæresi.*
- 11 *Inquisitionis officium impugnans, quas pœnas incurrat.*
- 12 *Hæreticus quando tradendus Curie seculari.*
- 13 *Iudex tradens Curie seculari damnatum, si mors sequatur an incurrat irregularitatem.*
- 14 *Iudæi iudicari possunt ab officio Inquisitionis certis casibus.*
- 15 *Talmud Iudæorum est prohibitum.*
- 16 *Iudæi compelli debent ad conciones audiendas.*

**H**æresis quoque est crimen Ecclesiasticū. *c. vt inquisitionis. de here. in 6.* & Episcopus est Iudex Ordinarius causarum hæresis in Diocesi sua, ita quod non impediatur formare præcessū, licet inquisitor adsit in Diocesi & procedat. sed hoc casu vel separatim vel coniunctim cum inquisitore formare potest processū.

*c. per hoc. lo. cit. Clem. 1. eo. tit. si tamē seorsum procedunt, debent sibi communicare acta & vterque simul proferre sententiā: & si fuerint discordes remittere debent instructā causam ad Sedem Apost. *Siman. de Cath. inst. tit. 25. nu. 4.* Vnde & processū contra hæreticos, & super libris prohibitis, licet adsit Inquisitor,*

N n 3. publi-